

tum erit acceptare duellum, cum alias dicti ordinis statuta acceptationem duelli requiri non fuissent approbata a regibus catholicis. Resp. Vigore allegatorum statutorum non requiri acceptationem duelli oblati, sed tantum indagari, quomodo in casu oblati duelli se habuerit candidatus; ad hoc, ut si constet, eum ex ignavia et metu illud recusasse, vel declinasse, rejiciatur; recipiatur vero, si ex timore Dei, legisque divinae, et humanae allegatione, aliove simili modo et responso supra n. 24, adducto illud recusavit. Mendo de *Jure academico*, l. 3, q. 29. *Appendice de Duello*, § 2, ¶ Secundum.

35. Instabis: Vir nobilis potest pro conservanda vita, et membris iniquum aggressorem occidere, etiamsi fugiendo posset salvare vitam; quia fuga eidem multum ignominiosa esset; ergo etiam pro tuenda fama et honore ordinarie licet acceptare duellum; cum recusatio illius viro nobilis videatur ignominiosa, famaque, et honori præjudiciosa, ac si iniquum aggressorem fugiat. Resp. negando consequentiam est paritatem. Disparitas est, tum quia, qui ad duellum provocatur aggressionem actualem in corpore nondum patitur, tum quia per acceptationem duelli fama, et honor ordinarie loquendo, non salvatur, sed perditur juxta dicta: tum quia in casu oblati duelli aliae viæ, et media ad manum sunt alvandi famam, et honorem per dicta n. 25. Cæterum fatemur, quod sicut vir nobilis, vel equestris ad evitandam ignominiam possit pro salvanda vita, et membris iniquum aggressorem occidere, etiamsi fugiendo salvare vitam valeret; ita etiam ad duellum provocatus, et insuper actualem, vel jam imminentem aggressorem patiens se defendere, et aggressorem occidere queat, etiamsi fugiendo salvare se potuisse.

36. Ad ostendendam animositatem vel peritiam duellandi non licet duellare. — Resp. IV. Ad solam ostendendam animositatem, vires, vel peritiam duellandi, aut digladiandi neutquam licet offerre, vel acceptare duellum. Valentia 2, 2. Disp. 3, q. 17, p. 1, can. 5, n. 6. Azorius lib. II, cap. v, q. 4, cum communi, et certa aliorum, arg. c. 1, de *Torneamentis*, ubi id expresse rejicitur, ibi: Ad ostentationem virium suarum, et audaciarum, etc. Ratio est, quia utique iniquum, et rectæ rationi graviter adversum est, pro tam vano fine medium tam atrox, et gravissima damna ex utraque parte. Et ob hanc

ter periculosum, omnique jure prohibitum assumere.

37. Minus ex vindicta licitum est provocare ad duellum. — Resp. V. Pariter omnino illicitum, poenitentia subjectum est, offerre duellum ex vindicta ob acceptam ab alio injuriam, vel ut per illud injuria illata tollatur, et satisfactio, uti vocant, ab injuriante præstetur. Rursus communis ac certa. Ratio est, tum quia non licet sumere vindictam auctoritate privata juxta illud Scripturæ: « Mihi vindicta, et ego retribuam. » Et I. Nullus, 14, c. de *Judeis*. Tum quia duellum ob eventus incertitudinem non est medium proportionatum ad reparandam injuriam.

Limitatur tamen conclusio in casibus extraordinariis, in quibus oblatio duelli absolute est necessaria ad avertendum grave præjudicium famæ et honoris, etc. Juxta dicta n. 31.

38. Vel illud adhibere pro indaganda veritate, innocentia, vel justitia alicujus. — Resp. VI. Ulterius illicitum est, offerre vel acceptare duellum tanquam medium indagandi veritatem, innocentiam, vel justitiam, alterutrius partis. D. Thomas, 2, 2, q. 95, a. 8, ad 3, Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xxxix, n. 3, eoque teste, omnes, arg. can. *Monomachiam*, 22, cau. 2, q. 6, c. 1 et 2, de *Purgat. vulg.* Ratio est, quia superstitionem, et periculosum, ac omnino improportionatum est medium indagandi, seu demonstrandi unius innocentiam, veritatem, vel justitiam, cum Deus innocentia, justo, vel veraci nullibi promiserit victoriam contra injustum, sed causas secundas ordinarie sinat motus suos agere, indeque facile eveniat, quod fortior, vel usu armorum exercitacione vincent, etiamsi causam malam soveat.

39. Ob bonum publicum, dirimendum, v. g. bellum, offerre, et acceptare licet duellum. — Resp. VII. Licitum est acceptare, vel offerre duellum ob bonum publicum, ad dirimendum, v. g. bellum, finiendasque belli calamitates, ad decidendam controversiam principum, et obtinendam pacem, adeo ut ad dictum finem aut duo belli duces, aut duo milites, aut certus numerus ex utroque hostili exercitu verum duellum inire valeant. Navarrus, in *Summ.* cap. xi, n. 39; Zoesius, h. t. n. 6; Sanchez, lib. I, *Moral.* cap. xix, n. 45; Pignatelli, tom. IX, consult. 88, n. 48, cum communi aliorum. Ratio est, quia utique iniquum, et rectæ rationi graviter adversum est, pro tam vano fine medium tam atrox, et gravissima damna ex utraque parte. Et ob hanc

causam Eduardus III, rex Angliae et Francie ad duellum provocavit Philippum VI Valesium, Franciscus Galliæ rex Carolum V imperatorem, Carolus rex Sueciæ Christianum regem Daniæ, Carolus Ludovicus elector ad Rhenum comitem Turenium.

40. Nisi per hoc magis redderetur dubia Victoria quam per bellum ex parte principis gerentis bellum justum. — Notant tamen bene doctores, principem juste bellantem nec offerre, nec acceptare posse duellum, si per illud spes victoriae redderetur magis dubia, quam per bellum; quia in tali casu graviter præjudicaret sue reipublicæ. Secus foret, si advertens, se ad resistendum imparem, vel certe quasi nullam pro se superesse spem victorie bello obtinendæ; tunc enim et offerre, et acceptare potest duellum hujusmodi pro terminando bello, vel decidenda controversia. Doctores citati.

41. Constitutiones pontificie quoad penas temporales contra duellum statutas non videntur receptæ in Germania. — Quæritur IV. An omnes poenæ a concilio Tridentino, et constitutionibus pontificiis supra allegatis contra duellantates statutæ locum habeant in Germania? Resp. Quamvis allegata jura de se loquendo obligent universum orbem christianum, tamen quoad poenæ temporales, puta, perpetuae infamiae, proscriptio[n]is, privationis jurisdictionis, etc. in pleno rigore usu non videntur receptæ in Germania, et partibus Septentrionalibus. Layman, lib. III, tr. III, part. III, cap. v, n. 4, quem secuti sunt Pirhing, h. t. n. 3; Konig, eod. n. 19; Gobath, et alii id probantes multiplici experientia et praxi; qua patet, duellantates in his partibus dictas poenæ non sustinere.

42. Bene non quoad poenæ spirituales. — Dicitur autem notanter quoad poenæ temporales; quia quoad poenæ spirituales, puta, excommunicationis, privationis sepulturæ, beneficiorum, item inhabilitatis ad illa, etc., etiam in Germania esse receptas dietas constitutiones, non est, qui dubitet; nisi quod doctores præfati dicant, aliquos ob defectum ignorantiae excusari a censura; quod pro foro interno, non item externo admittimus.

43. Vulneratus in duello caret sepulturæ etiæ si, etiamsi paenitens, et absolutus tam a peccatis, quam censuris sit, si in loco duelli, et atra sine morali intervallo moritur. — Quæritur V. Num vulneratus in duello si

ante mortem signa poenitentiae dedit, et tam a peccatis, quam censuris fuit absolutus in loco sacro sepeliri valeat? Resp. I. Si vulneratus in ipso loco duelli, vel in alio quidem loco, sed tamen paulo post, eodem adhuc die sieque sine vero sufficienti intervale moritur, caret sepultura ecclesiastica, etiamsi paenitens, et a censuris absolutus decebat. Sanchez, *Select. disp.* 36, n. 9; Pignatelli, *Consult.* 88, n. 66; Lezana, ¶ *Duellum*, n. 14; Diana, p. 4, tr. IV, resolut. 92; Konig, h. t. n. 20, cum communiori aliorum. Ratio est, tum quia iura universaliter priuant decedentes in duello, sine distinctione inter decedentes cum, vel sine poenitentia; tum quia ita expresse præcipit Rituale romanum jussu Pauli V editum, in Rubrica de *Esequiis* in haec verba: « Negatur ecclesiastica sepultura morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint signa poenitentie; » tum quia poenitentia et absolutio a censuris ac peccatis non faciunt, quin adhuc vere dicantur decedere in duello; consequenter poenitentia contra hos statutis subiacere. Confirmatur a simili in decedentibus in torneamentis, vel in ludo agitationis tauorum, qui carent sepultura sacra, etiamsi poenitentes moriantur, ut expresse habetur, c. 1, de *Torneamentis*, et in *Constitut.* Pii V, de *Salute*. Ergo idem dicendum de decedentibus in duello.

44. Secus, si in alio loco post unum, aut alterum diem primum moriatur. — Resp. II. Si vulneratus in duello moritur primo post notabile intervallum v. g. post unum vel alterum diem, sepultura sacra non caret. Diana, p. 41, tr. VI, resolut. 26, ¶ *Duellum*, n. 14; Caraffa, de *Duello*, tr. II, sect. 3, q. 19, n. 9; Konig, loc. cit.; Portell. et alii. Ratio est, quia licet talis decedat ex duello, non tamen in ipso duello, seu conflictu, quod tamen ad incurrandam dictam poenam diserte requiri videtur tam in concilio Tridentino, quam a Clemente VIII.

45. De personis quæ occasione duelli subjacent poenitentia. Remissive. — Quæritur VI. Quænam personæ præter duellantates subjaceant poenitentia? et quibus? Resp. ad hoc jam constare ex dictis supra n. 7.

46. Spectatores duelli quando sint immunes a poenitentia? — Specialiter tamen notandum circa spectatores, videlicet, quod illi, qui vel animo duellantates a pugna impediendi, eos comitantur, et spectant, vel qui subito ad locum duelli veniunt ibique etiam curiosi

exspectantes manent; vel quia fenestris januisque ædium congregientes spectant, excommunicationis, et alias poenas contra spectator latas non incurant, Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xxxix, n. 3; Mendo, in *Appendice de Duello*, n. 312. Ratio est, quia constitutio Pontificia loquitur de spectantiibus ex proposito, sive data opera, et quasi approbantibus duellum.

**47. Quis possit absolvere ab excommunicatione ob duellum incusa?** — Quæritur VII. Quis possit absolvere ab excommunicatione ob duellum incusa? R. Quamvis excommunicatione ob duellum incusa per constitutionem Clementis VIII sit reservata summo Pontifici tamen ab illa, vi privilegiorum absolvere possunt mendicantes, tam duellantes, quam fautores et spectator eorum, ut bene observant Layman, lib. III, tr. II, p. 3, cap. v, n. 4; Pirhing, h. t. n. 3, et alii, eo quod etiam a censuris Sedi Apostolice reservatis absolvere valeant.

Qui plura de duellis desiderat, legat Pignatelli, tom. IX, consult. 88, ubi in teriam de duellis practice et theorice peregregie tractat. (ADNOTATIO XXV.)

## TITULUS XV.

### De sagittariis.

**1. Sagittariorum, et balistariorum nomine qui veniant.** — Quæritur quid ad propositum intelligatur per sagittarios, et quid statuantur de illis per jura? Resp. I. Sagittariorum et balistariorum nomine veniunt, qui vel in jaculandis sagittis, aut saxis ex arcubus et balistris (quarum usus olim frequens erat) vel (ut hodie usus est) in emitendis glandibus, et majoris ponderis globis plumbeis, et tormentis bellicis peritiam habent, ut cum aliis notat Gonzalez, in c. un. h. t. n. 3.

**2. Qualiter et contra quos prohibita sit ars et exercitium sagittariorum, et balistariorum.** — Resp. II. Quamvis c. un. h. t. artem sagittariorum, seu balistariorum contra catholicos exercere universaliter videatur prohibitum; tamen probabilius est, vel prohiberi hic duntaxat artem banc exercere pro infidelibus aut hereticis contra catholicos conformiter c. *Ita quorundam*, 6, etc. Quod

olim, 12, de *Judæis*; et *Extravag.* 1, eod. vel prohiberi eamdem etiam pro catholicis contra catholicos in bello injusto, ut post Glossam, in cit. c. un. h. t. §. Artem, ibidem bene docent Barbosa, Honorius, et alii: Ex illa ratione, quod nil referat ad justitiam, utrum justum bellum contra quemcunque gerens, aperte pugnet, an ex insidiis, can. *Dominus*, 2, cau. 23, quæst. 2, ibi: Cum autem justum bellum suscepit, utrum aperta pugna, utrum insidiis veniat, nihil ad justitiam refert. » Dummodo sagittarii, vel balistarii in exercitu non adhibeant *incantationes*, *superstitiones* vel alias diabolicas artes ad certius, vel fortius, aut longius nocendum hosti, etc. quod præcipue prohibere putat Barbosa, h. t. n. 2.

## TITULUS XVI.

### De adulteriis, et stupro

**1. Ratio ordinis.** — Post crimina quinto precepto Decalogi adversa, diversa videlicet homicidia, et alia, quibus vita, et corpus proximi laeditur, compilator canonum recto ordine pergit ad delicta sexto precep. in raria, quibus pudicitia laeditur. Et quamvis rubrica de duobus solummodo speciebus, adulterio videlicet, et stupro sonet; tamen occasione eorumdem merito etiam de aliis speciebus delictorum carnis, fornicatione videlicet, incestu, sacrilegio, raptu, et vitio contra naturam, seu sodomitria hic agitur.

### § I.

#### DE ADULTERIIS.

**2. Adulterium impropre et proprie dictum, quid?** — Quæritur I. Quid et quotuplex sit adulterium? Resp. I. Quamvis adulterium large loquendo sit omnis copula extra statum conjugij habita, can. *Nemo*, 5, cau. 32, q. 4, ac propterea ibidem, sicut et a lege Julia adulterium et stuprum promiseue sumuntur, l. *Inter stuprum*, 105, ff. de *Verb. signif.* cum Concordantis. Tamen proprie et ad propositum loquendo adulterium est alieni thori violatio, ut dicitur can. *Lxx illa*, 2, cau. 36, q. 1, seu est carnis ad alteram

### § I. DE ADULTERIIS.

personam vi conjugii non suam accessio, et conjunctio, qua fides et thoros conjugalis violatur.

**3. Aliud est simplex.** — Resp. II. Adulterium proprie dictum dividitur in simplex, duplex. Simplex est, et dicitur, non solum, quando solitus cum conjugata, sed etiam quando conjugatus cum soluta carnaliter miscetur, can. *Cum ergo*, post can. *Illæ.* 14, cau. 32, q. 5, et can. *Puto*, 16, ead. cau. et q. can. Non mœchaberis, cau. 32, q. 6. Ratio est, quia vir æque ac uxor ad fidem conjugalem astringitur can. *Nemo*, cau. 32, q. 4, indeque vir meretrici adhærens non minus fidem et thorum conjugalem violat, ac uxor peccans cum non suo; quamvis jus civile aliud velit, et quoad poenias illius etiam servandum sit, per dicenda infra n. 18.

**4. Aliud duplex.** — Adulterium duplex, seu duplicatum, et bilaterale est, quando maritus cum uxore aliena carnaliter miscetur: quo. germanice ein doppelter Ehebruch vocatur, sicuti simplex ein einfacher.

**5. Copula carnalis cum alterius sponsa de praesenti adulterium est.** — Resp. III. Adulterium quoque est commixtio carnalis viri cum sponsa aliena de praesenti, non item cum sponsa de futuro. Prima pars communis est et certa ob rationem, quod sponsa de praesenti etiam ante matrimonii consummationem est vera uxor; cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat, l. *Nuptias*, 30, ff. de *Reg. jur.*

**6. Non item cum sponsa de futuro.** — Secundam partem tenet Clarus, §. *Adulterium*, n. 9. Zoesius, in *Comment.* ff. ad *Leg. Jul. de adult.* Sanchez, lib. I, de *Matrim. disp.* 2, n. 8. Covarruvias, p. 1, de *Spons.*, cap. 1, n. 8, cum communiori contra Glossam, in c. *Quemadmodum*, 25, §. *Sponsam. de Jurejur. Ablatem*, in c. *Discretionem*, de eo, qui cognovit. Ratio est, quia adulterium est violatione thori alieni conjugalis; at vero per copulam cum sponsa de futuro non violatur thoros alterius, hoc ipso, quod ante matrimonium de praesenti contractum sponsus non habeat jus ad thorum sponsæ. Accedit juris decisio l. *Inter.* 6, § 1, ff. ad *Leg. Jul. de Adulter.*, ubi expresse dicitur: Proprie adulterium in nupta committitor. Nupta autem nondum est sponsa de futuro, ergo.

**7. Solvitur objectio.** — Nec obstat l. *Si uxor*, 13, § *Divi*, ff. eod. ubi habetur: Eliam in sposo hoc idem vindicandum, quia nec

spem matrimonii violare permittitur, cum Concordantis. Resp. enim, in præfatis, et similibus locis verba esse intelligenda de adulterio non proprie, sed large accepto: ob quod tamen, quia vera injuria illata est sponso jus ad sponsam ob præcedentia sponsalia habenti, datur eidem vera actio, l. *Etiam.* 15, §. *Sponsam quoque*, ff. de *Injuriis*.

**8. In lege divina antiqua adulterium sub poena mortis, et quidem lapidationis fuit prohibitum.** — Quæritur II. Qualiter, et sub quibus poenis prohibitum sit adulterium? Resp. I. Adulterium tanquam gravissimum crimen; et peccatum mortale jure divino et humano, eoque tam civili, quam ecclesiastico gravissime, gravissimisque poenis est prohibitum. Nam jure divino veteris Testamenti poena adulterii fuit mors; ut patet ex *Levit.* cap. xx, §. 10, ibi: Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum uxore proximi sui, morte moriantur et mœchus, et adultera: idem habetur *Deuter.* cap. xxii, §. 22, ibi: Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, tam adulter, quam adultera, et auferes malum de Israel: Et quidem per lapidationem, prout constat *Joan.*, cap. viii, §. 5.

**9. De jure canonico poena adulteri laici in adulterio persistentis, l. Est excommunicatio.**

— Resp. II. Jure humano ecclesiastico diversæ poenæ sunt statutæ contra adulterantes. Et quidem I. Laicorum in adulterio persistentium poena est excommunicatio non tam latæ, sed ferendæ sententia, c. *Intelleximus*, 6, h. t. et ibi doctores.

**10. Poena feminæ adulteræ est detrusio in arctum monasterium.** — II. Poena feminæ adulteræ est detrusio in arctum monasterium ad agendum ibi poenitentiam perpetuam, si maritus eam amplius recipere non vult, c. *Gaudeamus*, 19, de *Convers. conjug.*, quæ tamen poena hodie non amplius est in usu, et reliquantur laici criminaliter, et publice puniendi Curiae seculari.

**11. III. Poena est divorcium.** — III. Civiliter tamen, et privata adulterorum poena est divorcium, seu separatio a thoro et cohabitatione, de qua late egimus lib. IV, tit. XIX. de *Divortiis*, § 3, ubi vide.

**12. IV. Amissio dotis et donationis propter nuptias.** — IV. Poena est amissio dotis in adulterio, et amissio donationis propter nuptias in adultero, de qua poena etiam late